



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Repetitio Clem. I. Ut Clericorum De Officio Ordinarii**

**Aufréri, Étienne**

**Leodii, 1702**

Tertia Regula.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63069](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63069)

IN ECCLESIASTICOS 309

- 20 Percutiens Clericum turpiter inventum cum sibi propinqua, an excommunicationem incurrit.
- 21 Percutiens Clericum si Clericatum ignoret, venit excusandus.
- 22 Invasor Sedis Apostolicæ potest à Laicis impune repelli.
- 23 Doli in capax percutiens Clericum, non peccat mortaliter,

TERTIA REGULA.

Concernens privilegium Clericorum personale. Cum 8. declarationibus & 12. Fallentibus.  
*vid. et infra pag 474*

Qui violentas manus in Clericum iniicit, ipso jure excommunicatus est Cap. Si quis suadente. 17. quæst. 4.

Idem de monachis aut monialibus Canonice aut cujuslibet religionis converso vel conversa aut novitio cujuslibet religionis cap. Cunctis, cap. Non dubium cap. veniens cap. Cum illorum cap. de monialibus de sententia excommunicationis cap. Religioso. eodem tit. in 6.

A D D E.

Percutiens Clericum, impias manus in ipsum inferens jure Civili capite punitur. Jure Canonico

nico tantum pœna majoris excommunicationis, ut in hoc cap. Si quis suadente. Idem si quis vestes Clerici dilaceret Marsilius, 188 sing. Menochius cas. arb. 389 num. 15 ubi explicat Buch. Sed novo Iure C. de Epis. & clericis. ex auctoritate Baldi. Eandem explicat novissimè in suis doctissimis decisionibus, Anthonius Tessaureus decis. 244 Quod si quis verberet Clericum baculo, pro qualitate personarum & circumstantiarum gravius aut lenius puniri debet. Latè ibi Tessaureus. In hanc regulam quid remittendo addiderim vide infra in fine limitationum Mattheus Boys Doctor.

Declaro primo prædictam regulam etiam locum habere in conversis sæcularium Ecclesiarum, ita videtur tenere gloss. in ca. non dubium & idem tenet ibi Antho. idem Io. de Imo. in cap. dilecta de maio. & obe. idem Ioan. And. & Domi. in cap. per exemptionem de privile. lib. 6. licet Sicul. in allegat. cap. dilecta & in cap. 1. de regula. videatur tenere Contrarium: tamen opinio videtur tutior.

Secundo declaro prædictam regulam locum habere regulam in mulieribus, quæ canonicæ sæculares dicuntur, si verberentur quando serviunt in Ecclesia & habent habitum religiosorum: alias secus, & ita sequitur Rota decis. 167 in antiquis tamen Io. An. in allegat. cap. dilecta, simpliciter tenet, quod non gaudent.

Tertiò declaro prædictam regulam locum habere in Beguinis, quæ sunt conveniendæ coram iudice ecclesiastico tanquam personæ miserabiles & non videntur merè personæ sæculares maxime cum portant habitum, & gaudent privilegio. ita dicit Rota. conclusi. 332 in antiquis;

Latè in  
Cleme.  
Reg. 3.

*antiquis. & ad hoc alle. Io. An. ita tenentem in alle. cap. delicta.*

Quarto declara prædictam regulam locum habere in detinente clericum in custodia publica sicut in carcere vel privato loco, ut in domo propria, quia licet manus violentas non in ferat, nihilominus est excommunicatus, ex quo libere non potest abire. *cap. nuper de sen. excom.*

Idem si quis teneat clericum per vestem & non permittit ipsum abire, *cap. frenum equi* in quo insidet clericus, tenet Innocentius *in allegat. cap. nuper*, quod etiam sentire videtur Bar. *in l. licitatio. §. quod illicite. ff. de publi. quod dictum Inno. alleg. Bar. ibidem & Bal. in l. si quis per calumniam C. de Episc. & Cle. & in l. gallus §. ille casus. ff. de lib. & posth. & in cap. 1. qui mo. feu. amitta. & Lopus alleg. in 8. & Bald. in l. 1. ff. de his qui de se. vel effude.*

Idem in eo qui spuit, vel aquam aut aliud effundit super eum, pro quo sunt duæ glo. una. *in cap. si quis pulsatus. ver. manus. de pe. distinct. 1.* Alia *in præalle. cap. si quis susdente. in ver. manus.* ubi etiam tenet quod si quis spuatur in clericum, est excommunicatus: quam glos. sequitur ibidem Marchi. & alleg. per Inno. *in alle. cap. nuper. tenet Zaba. in cle. 1. de pe.* idem est generaliter si fiat vis rebus clerico inhaerentibus, vel si aliquid, quod tenet, violenter eripiatur aut scinditur sive frangitur, ut Zaba. ubi sup.

Quod tamen solet limitari primo nisi dormiat, vel non sentit sibi zonam vel bursam furari, vel quid simile sibi auferri, ita tenet Zaba. *in alle. cle. 1.* Secundo nisi clericus detineretur oppressus per vim, ne sibi fieret injuria, tenet Inno. *in alleg. cap. nuper. & Zaba. in alleg. cle. 1.* Tertio nisi cessante violentia

clerico

clerico inferretur metus, etiam armorum, Zaba. ubi supra Sicul. post Antho. *in cap. verum de foro compe. & directo. lib. 3: tit. 2.*

Quarto nisi fieret violentia Clerico propter recuperationem rei ablata. Inno. *in alle. cap. nuper. per. cap. olim. 1. de resti. Spolis.* idem Zaba. *in alle. cle. 1. Imol. Laudu.* ibidem dicunt quod si Clericus Emphitheota non vult solvere canonem armata manu, dominus poterit eum compellere.

Quinto nisi solum fieret injuria verbis.

Sexto nisi clericus insultetur sine violentia, licet habeat animam nocendi, non tamen tangit, licet vibraverit enssem super caput ejus, vel si tangit, vim non infert neque læsionem, quia verba sunt intelligenda cum effectu. *cap. relatum de cleri. non resti. tenet Archidiaconus in §. si rego. 17. quest. 4.*

Septimò, Nisi clericus insequatur, nulla alia violentia sibi illata. *gl. est. in cap. felicis de pen. lib. 6. super. ver. insecutione.* & ibi vide Domi. qui allegat. Archi. idem tenere *in cap. sicut qu. 17. quest. 4.* & idem tenet Io. An. *in Novella super allegata glo.* etiam si clericus insequutus cadat & lædatur secundum aliquos, sed tutius crederem ipsum tunc esse excommunicatum. Adde Bart. *in l. si gemma. ff. arbo. furti cæsa.* ubi dicit quod talis insequens non tenetur quasi vulneraverit, sed quasi vulnerari fecerit, ut *l. qua actione. §. prom. & l. si obstetrix. §. si servum. l. si ex plagis. §. si. ff. ad. l. aquili.*

Octavo, Nisi clericus detineatur clausus in una camera, non ut inferatur sibi vis, sed ut detegatur ejus verecundia, tenet Inno. *alle. in cap. nuper.* Antho. Io. de Lig. & Zaba. *in alle. Cle. 1. de pe.* vide Feli. *præalle. cap. nuper. circa si.*

## 5. Declaratio.

Præfatam regulam non solum in iniiciente manus in clericum, sed etiam in mandante, ut *in cap. mulieres in fi. de sent. excom.* quia is verè delictum committit, cuius auctoritate commissum esse probatur. Idem in eo qui percussorem in clericum sine mandato, tamen nomine suo factam ratam habet, nam erit excommunicatus: secus, si non esset facta nomine suo. *cap. cum quis de sen. excom. lib. 6.* Primum tamen dictum limita nisi mandator revocaverit mandatum, & ad noticiam mandatarii deduxerit revocationem alioquin erit excommunicatus si simpliciter revocaverit mandatum, ex quo percussit antequam revocatio pervenit ad sui noticiam secundum *Inno. in alleg. cap. mulieres*, idem *Bar. & Hosti. in alle. arg. l. si mandassem. ff. man. de procura. cap. ex insinuatione. de rescrip. cap. ex parte decani.* & idem *gloss. in cap. tibi domino 36. dist. gl. 3. Doct. in præalleg. cap. cum quis.* Secundo limita, nisi post mandatum ante executionem mandator decesserit, & constat eum ante mortem penituisse, quia tunc non erit excommunicatus, quia in veritate mandatum morte fuit revocatum. *Sicul. in alle. cap. idem tenet Directo. lib. 3. tit. 2. & communiter Doct. in dicto. cap. mulieres vide Domi. in præalle. cap. mulieres, cum quis,* ubi etiam tenet circa finem quis sine mandato nomine tamen meo me contradicente percussit clericum & postea ratum habeat, non erit excommunicatus *alle. Fede. de senis. cont. 231.*

## 6. Declaratio.

Sextò, declar. quod non solum habet locum dicta regula mandante, sed etiam in eo qui dolo induxit alium ad percutiendum, si talis sit dolus qui comparatur mandato vel consilio, puta quia dixit: facere mihi singularem gratiam, vel ei vellem semper bonum, qui percuteret, quoniam si ex hoc sequatur percussio, erit excommunicatus, ut in *præallega. cap. mulieres*, unde refert Bart, in *l. si quis mihi bona. §. iussum ff. de acquiren. heredit.* quod dominus verberatus qui dixit coram famulis suis, nisi aliud de tali audiero, ero male contentus propter quod famulus interfecit percussorem, fuit punitus ipse dominus de homicidio, unde Sicul. in *cap. ex litteris de exces. præla.* dicit quod non refert, an directè vel indirectè aliquid consulatur, ut in *dicto cap. ex litteris.* & facit, *l. certum ff. si certum petatur*, & *l. cum quid est iul.* Et quod no, Bal, Ange, Rapha, & Imo. in *l. quid ergo §. penult. ff. de leg. i.* Qui volunt, quod instigans & sollicitans aliquem ut percutiat, sit excommunicatus, si sequatur percussio,

Septimo declara dictam regulam non solum habere locum in cooperante auxilio vel consilio, imo etiam in prohibere valente & non obviante ne verberetur clericus, ut in *cap. quanta de sen. excom.* Quod locum habet secundum doctores in eo sub cuius potestate est verberans. Sed etiam in alijs qui non habent ex officio si non prohibent dolose, similiter secundum Doctores sunt excommunicati. Si vero hoc non facit dolose, sed quia non vult se immiscere tumultibus vel ex timore, vel ex negligentia non prohibent: tunc secundum Doct, præsertim Io, An, non erit excōmunicatus, quia in hunc vel alium

alium canonem nullus incidit nisi sit in dolo *Ar. ff. de adul. l. penul. ff. de sica. l. 1. & traditur Sicul. in alle. cap. quanto.* Et ibi vide eum, an præsumatur dolus, &c.

8. *Declaratio.*

Regulam sæpè dictam etiam locum habere in clerico, qui voluntariè subijcit se verberibus, nam manus iniiciens violentas in talem est excommunicatus, & clericus venit excommunicandus, ut *in cap. contingit. de sent. excom.*

Et idem est in clerico se ipsum percutiente temerariè; nam talis excommunicatus, quia privilegium est concessum favore ordinis clericalis, ut ibidem, & quia nemo est dominus membrorum suorum, *l. liber. homo. ff. ad l. aquil. & cap. si non licet 23. question. 5.* ita concludunt ibid. Archi. & Sicul, & Doctores *in alleg. cap. contingit.*

A D D E.

*Hoc privilegium clerici ex cap. Si quis sua dente, non habet locum in percutiente uxorem clerici etiam si sit legitima, ea ratione; quod in dispositione panali non fiat extensio. Tiraquellus num. 91. gloss. 2. de legibus communalibus. Matth. Boyss D.*

*Fallentia. 12.*

Fallit autem supradicta regula, si quis clericum percutiat levitate jocosa non ex odio vel inimicitia, vel indignatione, ut *in cap. 1. de sent. excommunicat.*

Secundò fallit, quando causam correctionis magister scholarum clericum vel intuitu disciplinae percussit, quia non est excommunicatus.



catus. ut *in allega. cap. 1.* & *ex tenore* & *cap. cum voluntate.* Quod intelligas, dummodo correctio sit moderata, alias secus ut *in cap. presbyterum. de homici.*

Et idem intellige de praelatis qui per seipfos clericos vel religiosos verberare possunt, exceptis tamen Episcopis quibus non licet aliquem percutere, ut *cap. non liceat 86 distinct.* sed per alium facere. Per laicum, an autem verberantes de mandato praelatorum excusentur. Clava. *in ver. excommunicatio §. 5.* traditur quod laici, id est, saeculares non excusantur ab excommunicatione, & sic dicit consuetudinem interpretari. *cap. universitatis*, ut pro causa rationabili, & qui conversos seu laicos religiosos possint de mandato praelatorum verberari, ut *5. questione. ut illi qui.* Non tamen per laicum si clericus est verberandus: ut *in cap. universitatis de sententia excommunicationis*, scilicet per clericum aut conversum, si necessitas urgeat.

Et propterea dicit gl, *in cap. alias est §. presbyteri. 1. 5. quest. 6.* quod clericus non debet à laico torqueri: quod Doctores intelligunt etiam de mandato iudicis, dicit tamen Sicul. *in allegat. cap. universitatis*, quod communiter observatur contrarium. Ideo quia hodie clerici torquentur, ut laici, & tales modi torquendi non possunt fieri per clericos, quia ferè nemo in huiusmodi obtemperaret, nec sunt edocti in hac arte torquendi sicut laici,

Sed de jure id fieri non potest secundum Sicul, ibidem Imol, Archi, & de Fantu, *in allegat. cap. presbytero*, tenent quod facientes clericos torqueri per laicos sunt excommunicati. Sicul, *in cap. ut fama. de sententia excommunicationis*, refert ibi teneri

neri, idem per Antho. & Petr, de Ancha, licet de consuetudine seruetur contrarium & male. Ita seruari, fecique torqueri atque per aulam domus Archiepiscopalis saepe numero fustigari clericos & presbyteros per seruientem Curia Archiepiscopalis quae erat laici, quoniam ita semper audiveram atque videram de consuetudine per meos praedecessores observari,

A D D E

*D. Bernardum Dias in praxi crimi. cap. 126*  
*& ibi Ignatium Lopes in doctis. suis commentarijs.*  
*Matthaus Boyß Doct.*

Et licet posset dici, quod consuetudo sit irrationalis, ita quod non excuset à culpa, excusat tamen à poena, ita tenet gloss, in similibus; 4. dist. cap. denique & in cap. cum venerabilis. de consuetudine super, ver. migrasse, quam multum commendat ibi Sicut,

Adde quod licet detinens clericum de mandato sui praelati, vel capiens non sit excommunicatus, Si tamen in capiendo modum excedat, ut puta clericus se quietè capi permittit, sed capiens calce vel pugno impingit in eum, erit excommunicatus ut in allegat. cap. ut fama. & gloss. in cap. si clericos, ubi etiam tex, eo. titul. lib. 6. Et idem si clericus cautionem fideiussoriam de parendo daret, quia tunc non potest detineri, nisi excessus enormitas, vel alia rationalis causa aliud suaderet, ut puta, sed gloss. fin. in allegat. cap. si clericos. cum plures sunt malefactores vult unum detinere, ut per eum veritate manifestatâ, alios capere possit, & ita fit quotidie,

Et dictum est supra de correctione magistri vel praelati intellige dummodo non fiat ex odio, vel inimicitia *ar. in cap. cum voluntate alleg.* Ex quo tamen habet auctoritatem à jure verberandi & causa subest, propter quam debeat puniri quasi tunc licet moveatur ex ira, non erit excommunicatus, longè tamen melius est, ut differat, donec ira pertranseat, ut *in cap. illa prepositorum & cap. ira. & cap. cum apud. 11. qu. 3.*

Similiter dic hujusmodi secundam fallentiam locum habere nedum in clerico in Minoribus, sed etiam in constituto in sacris cum textus non distinguat ut *in præallega. cap. 1. cap. ex tenore, & cum voluntate.*

Dic tamen quod pater vel dominus familiæ vel propinquus potest corrigere modo quo supra clericos in minoribus constitutos, *dicto. cap. cum voluntate, l. si filius C. de patria potesta. & l. unica. C. de emen. propin. 45. distinct. 9. necesse ad fi.* Sed si clericus sit in sacris, tunc non est licitum patri clericum hujusmodi causa correctionis percutere, tenet glo, & post eam Sicul, *in alleg. cap. cum voluntate*, secus autem si corrigatur à praelato, vel magistro suo secundum Doct.

## A D D E

Senex Juvenem, Dominus Servum, pater filium, Fratrem frater, uxorem maritus, præceptor discipulum, Abbas Monachum castigare & verberare potest, sed moderatè ad arbitrium judicis. Menochius casu arbit. 364. Et præsumitur Correctionis gratia facere, de quo vide eundem Menoch. præsumpt. 14. l. 5. præsumptio-num. Mattheus Boÿß Doct.

Ter-

## IN ECCLESIASTICOS 319

Tertio fallit regula sæpe dicta. Quando præbyter vel quilibet alius ratione officii, quod habet in Ecclesia, clericos in minoribus constitutos, officium in Ecclesia perturbantes, licet habens officium nemo habeat magisterium super eum, expellit aut verberat, quia non erit excommunicatus. Cum enim officium *turbat* committitur, & omnia sine quibus officium commode expediri non potest, sicut iudex potest compescere omnes impediens jurisdictionem suam: *de offi. deleg. cap. 1. præterea & cap. prudentiam & cap. suspicionis de vestibus. cap. tam litteris.*

### A D D E.

*Doctor alta voce legens aliosq; impediens ut fileat cogi potest. Sed tamen præbyterum alta voce canentem expellere, vel prohibere non potest. Menochius arb. casu. 237. Sic Socius Socium molestum vel perturbatorem expellit. Zasius & Romanus in l. 1. Solutio matrimo. Ubaldus de duobus fratribus. q. 24. part. 11. Mattheus Boyss Doct.*

Idem tenet Inno. & Hostiensis in *cap. veniens de senten. excommunicationis*: & ibi tenet Sicut. quod etiam in turbante officium si percutiens vel expellens non habet prælationem vel officium, excusatur.

Similiter hoc possunt facere seniores clerici zelo devotionis in pueros clericos, vel adolescentes in minoribus constitutos, ut *in allegat. cap. cum voluntate. §. finali*. Quod intellige de levi percussione non autem de gravi, & quod non excedant modum ex proposito aliter essent omnes supra dicti excommunicati,  
ut

*ut in allegation. cap. fin. & ibi gloss. & Hostiensis.*

ADDE.

*Pater si verberat filium clericum correctionis ergo, non incidit in canonem. Si quis suadente. Item filio non est licitum reverberare patrem, quia presumitur in patre correctionis causa factum esse, item pater, propinquus, praeceptor, articulare debent, quod cum verberarent, correxerint, admonuerint, ad longum deducit Visanus de patria potestate effectum I. num. 14 & sequentibus, vide plura in eandem rem apud Menochium in presumptionibus. 4. praeumpt. lib. 5. Mattheus Boyss Doctor,*

*Adverte etiam quod si Officialis laicus aliter quam arcendo turbam injicit manum in clericum quod non potest absolvi, nisi à Papa qualitercunque leviter percusserit, quia injuria est gravis, usurpat enim jurisdictionem in clericum, ita no. Sicul. in cap. si vero & ibi tex. apertus. de sen. excommunic. quod Clavas. in ver. excommunicatio. 5. §. 6. in fine. limitat quando hoc facit tanquam Officialis. Secus si percusserit tanquam privata persona, quia nisi esset injuria gravis non erit mittendus ad Papam.*

*Quarto in clerico in crimine reperto, qui potest secundum gloss. in cap. cum non ab homine. de judi. per viginti horas detineri ad conveniendum testes, ne sit locus inficiationi. per. l. capite quinto. ad l. juliam de adulte. ff. à cuius glossæ sententia in ju.*

judicando, quis secure non recedit: ut testatur Angelus, *consilio 178 in fin. i. coll. & in consilio. 297 in fine & Hostiensis in summa de sententia & re judicata. §. quis debet. ver fallit. dicit Argum. l. ait prætor. §. si. debitorem. ff. quæ in frau. cre. & l. generali. C. de Decu. libro 10 quod si Clericus delinquat & fugiat, possit sine metu canonis coram Episcopo duci, & quousque illi traditus fuerit, detineri sicut utitur Ecclesia gallicana: dicit tamen se non ausum diffinire, utrum excommunicatio evitetur, collec. etiam *in allegat. cap. cum non ab homine*, & *in cap. ut fame*, dicit tutius esse dicere quod sint excommunicati nisi statuto vel consuetudine excusentur.*

Et in summa communis est opinio quod in crimine flagranti capi possit, etiam pro utilitate privata, tenet Innocent. *in allegat. cap. ut fame*: idem Vincentius & Lau. ut refert Collect. *in allegat. cap. cum non ab homine. idem tenent Abbas Ant. ibidem Galva de Bo. post. Guilher. Nazo. idem Ioan. Andræ. adiciens quod curialius debet detineri quam laicus Zaba. in cle. i. de offi. ordi. & Petrus de Ancha. & Imol. Bald. ju. Authen. statum. C. de Episco. & Cle. Bart. & Angelus in l. si quis in servitute. ff. de fur. Domi. in cap. si quis viduam in ultima col. dic. Baldus in cap. i. §. si vero de pace iuram. firmata, in usi. feud. Baldus. in l. si quia per calumniam. C. de Episcopis & Clericis, idem Lucas. de Penna. in allegat. l. generali. idem Petrus de Anchar. in regula juris ea quæ 20 question. Bald. in §. finitur. insti. de obligat. quæ ex quasi. delict. idem Lopus allegat. 126 quæ incipit quidam in carceribus. ultimi. col. Petrus. de Anch. in cap. nullus de foro*

com-

322 DE POTESTAT. SECUL.

compe. Archi. in cap. Abbates. 18 quæst. 2. Innocens. in cap. lato. 2. col. de pigno. Sicul. in allegat. cap. ut fama. in allegatione. c. cum non ab homine. ubi refert collecta, se scire quod officiales provinciæ ex consuetudine excusantur. Idem Petrus de Ancha. in cap. unico. de cle. conjug. libr. 6. Pro quo facit quod ipse consuluit. consil. 188 incipiente in auxilium veritatis. idem Clavas. in ver. excommunicatio. 5. §. 12. & §. sequenti.

Et in summa ista est communis opinio, ex quorum dictis in repetitione mea prædictæ cle. 1. de offic. ordi. junctis no. per Bart. in præallega. §. si debitorem, & per gloss. & Angel. Are. Insti. de actio in principio & in l. interdum §. qui furen. ff. de furtis. & in Authen. de man. principum. col. 3. & in titulo de pace jura firmata, si vero & ibi, Bald. & Angelus in consilio suo 122 & Floren. in l. 4. ff. ad l. aquiliam, & per Domi. post Archidia in cap. de his. 2. l. distinct. Innocent in cap. si vero, 1. de sententia excommunicat. pert. Sicul. in cap. 2. de depigno. Collegi ac publicè tenui conclusiones sequentes.

Prima quod licitum est laico etiam privato, clericum in crimine flagrante repertum capere, si de fuga suspectus sit, vel aliter ab injuria compesci non potest, & hoc citra poenam excommunicationis, ut quam citius suo judici remittatur pro justitia ministranda, unde sic captum non poterit quis retinere, nisi per viginti horas, ut voluit gloss. in præallegato, cap. cum non ab homine, & idem tenet Bar. in alle. l. capite 5. Quo tempore durante non poterit torqueri, neque

que iusticiari per taliter capientes, tenet Bald.  
*in l. 1. C. de priva, car,*

Secunda conclusio licitum est Laico Clericum debitorem suum fugientem, aut de fuga suspectum vel rem suam asportantem capere sine metu excommunicationis. 15

Tertia conclusio licitum videtur illis Clericum capere, quibus licitum est percutere.

Multi tamen Doct. tenuerunt contrarium, ut late videre potes in præallegat. mea repetitione, ubi finaliter dixi, negari non posse, quin isti casus reddatur valde dubitabiles ex tantorum Doct. opinio contrarijs, ar. eorum. quæ not. in c. 1. de postul. præla. lib. 6. & in l. regula. de jur. & fac. igno. sic quod videtur tenenda consuetudo, quæ est optima legum interpres, maximè cum sit generalis in præsentis regno, & valdè antiqua, ut testatur Hostien. ubi supra, & Papa sciat illam & toleret, juxta no. per gl. & Do. in cap. 1. de Tren. in Pa. & in cap. cum venerabilis. de consue. per gl. 1. & Sicul. ibidem, & per glo. 4. distinct. denique,

Et per hoc crederem officarios seculares præsentis regni capientes Clericos delinquentes de fuga suspectos ad fines remittendi, à sententia canonis excusari, præsertim in præsentis Archiepiscopatu Tholosæ, & alijs locis, in quibus Episcopi non habent captionem. Debent tamen iidem officarij Clericum sicut permittitur captum, si petierit, ad Episcopum remittere sub fida custodia, ut tenet Bald. post Iacobum Butri in l. eos §. super his. C. de appel.

Adverte tamen, quod officarij remittentes Cleri-



## 324 DE POTESTATE SÆCUL.

Clericum ignominiosè, possunt per Episcopum puniri, quia illatio magni roboris pœna est. capit. quem pœnitet. de pœni. distinct. 1. & sic videtur, quod tales officarii sint excommunicati, per not. in cap. nuper. de senten. excomm. ita dicit Domi. in cap. si iudex eo. titu. lib. 6. Præterea debent dicti officarii informationes & acta remittere. tenent, Bal. in præalleg. §. nuper his & Ang. in auzhen. de sanctis. Episcopis §. si vero examen. collat. 9. quia præderunt ad aliqualem probationem & informationem secundum Iaco. Butri. intellige de actis factis, antequam iudex secularis sciret eum esse Clericum: nam acta postea essent illicita, ex quibus iudex puniri debet.

16. Confessio verò Clerici facta coram iudice sæculari, valet ad hoc ut operetur indicium ad torturam. Anthon. & Imol. ita tenent in capit. at si Clerici. de iudic. Baldus in allegat. leg. eos, C. de appellat. & in l. 1. ultim. column. C. de confess. Angel. in leg. Magistratibus, ff. de iurisdict. omni. iudic. & ibi Paulus de Castro, Anthon. in capit. per inquisitionem de electio. in penult. column. Petrus de Anchara in sua disputatione que incipit, Astensis miles.

Contrarium tenent, videlicet quod per istam confessionem non possit Clericus torqueri, Bal. in cap. cum super de confess. dicens, quod confessio facta per Clericum coram Laico non facit indicium ad torturam; Anthon. in cap. dilecto. de arbitr. Angel. in l. unica. penultim. column. C. de confess. & idem tenet in l. 1. ff. eodem titul.

A D D E

Capellam Tholosanam decis. 426. Vide Ig.

1165

Ignatium Lopes ad Bernar. Diam. cap. 126. n. 8. in praxi crim. Mattheus Boys D.

Prima tamen opinio servatur, nisi Clericus alleget, quod ea fuerit extorta per metum, juxta no. per Inno. collect. & Sicul. in alleg. cap. at si Clerici. secus ergo si spontanea fuerit, maxime si adsint aliae conjecturae, quia in ea cogetur coram iudice perseverare, & faciet indicium juxta no. per Bald. in l. clarum. C. de auto. prestanda.

Adverte tamen ad unum not. dictum Abbatis antiqui recitatum & commendatum per Sicu. in cap. cum in contemplatione, de regul. juris. Quod Clericus non potest torqueri, nisi sit de crimine infamatus, licet contra eum sint indicia alias ad torturam sufficientia, tenet etiam Ioan. An. in praxi alle. cap. cum in contemplatione. Pau. de Leam. in cap. 1. de depo. Ioan. de Ana. in cap. 1. de Clerico percusso.

## ADDE

Clericus nisi infamatus, non potest torqueri, etiamsi sint indicia. Communis est sententia Felinus in cap. universitatis. nu. 2. de sententia excommunicationis. Aretinus in criminal. tracta. maleficiorum. §. fama publica. Hippolitus in praxi crimina. §. Nunc videndum n. 51. §. expedita. nume. 40. Bossius de indicijis nu. 15. Idem Hippolytus de fidejussoribus. num. 126. & sing. 55. Clarus quest. 64 in criminalibus. Sed contrarium tenet Felinus & Panormitanus cap. olim

olim de re script. vers. tertius casus & impugnat  
 quoque communem. Ignatius Lopes in pract.  
 Cano. ad Diam, cap. 126 numer. 2. in litera  
 A Bossius de judicijs numer. 103 communem  
 superius positam sententiam non servari ait.  
 Mattheus Boys Doctor,

Adde quod hujusmodi remissio fiet expensis  
 ipsius Clerici se remitti petentis ad judicem ejus,  
 ad quod textus in *l. quoniam liberi. C. de testibus* &  
*l. generaliter. §. his de presentibus. de re. cre.* cum qui-  
 dam ad regem appellasset, & peteret se remitti  
 ad curiam Regis: & oportebat, quod remittere-  
 tur cum custodibus, quod ipse facere debeat ex-  
 pensas custodibus Ad quod etiam bene facit,  
 quod ait idem Baldus in *titulo de pace. test. §. si ju-  
 dex in usibus feudo*, vel quod si judex petat remis-  
 sionem ex officio, fieri debet expensis illius ter-  
 ræ, ad quam fit remissio *ar. ff. de cap. in l.  
 mulier in opus.*

Sed quid si forsan Clericus petens se remitti,  
 non habet unde, dic quod etiam hoc casu fiet re-  
 missio expensis Episc. cum ad jurisdictionis emo-  
 lumentum pertineat regulâ juris: Quid sentit  
 maximè si etiam Episcopus remissionem fieri  
 petierit, licet lo. Fa. videatur habere contra-  
 rium in *l. 1. C. de offic. proconsul.* Expensis ve-  
 rò victus factis in carceribus judicis secularis,  
 Clericus ipse solvere tenetur usque ad tempus  
 requisitionis, seu quo pervenit ad judicis cog-  
 nitionem, quod talis esset Clericus. Barto in  
*l. sanctum. ff. de rerum divi*, quod carcerato mi-  
 nistrari debent expensæ per eum, qui procura-  
 vit captionem, non autem per judicem: hinc  
 dicit

IN ECCLESIASTICOS. 327

dicit idem Bar. *in tractat. de carce. in fi.* quod si aliquis debitor fuerit instante creditore captus, & debitor non sit solvendo, ita quod non habeat unde possit se sustentare, creditor tenebitur ipsum alere in carceribus, & idem tenet *Angel. Are. Instit. de actio. §. fi. in fi.* unde dicit lo, Fa. *insti. de actio, §. sed & si quis*, quod si ille qui fecit eum capi nolit victum ministrare, si captus non habet unde se alat: bene facit iudex, si eum abire permittat, & videtur no. *in l. fi, C. de ero, mili. an. lib. 12.* & *facit ff. ad exhi. l. sed & si hereditas nisi posset ali. de alimoniis. C. de Episco. & Cle. l. iudices.*

Crede tamen, quod à tempore mortæ Clericus non teneatur quicquam solvere, quia mora debet esse nociva detinenti. Nec per huiusmodi expensas, debet ipse Clericus detineri, cum sit debitum civile, pro quo Clericus non est detinendus lo. An. & Domi, *in cap. si Clericos de sen. excom. lib. 6.* etiam si sit conjugatus, tenet *Lapus de Castel. alleg. 118, & Domi. in cap. unico de Cle. conjuga. lib. 6, Antho. & Sicul. in cap. Odoardus de solu. & in 1, de depo. & ita servatur & tenui in præalle. mea repe. & in addi. ad qu. cap. cap, & 274.*

A D D E

De expensis in remissione Clerici vide supra in repetitione n. 75. Et Menochium in arbit, casu 228. n. 8. Expensas semper facit Creditor, qui incarcerari facit debitorem, si se alere non possit: quod si id Creditor non facit, impunè per iudicem dimittitur, nisi tamen alia sit loci consue-

Z

rudo

tudo, quod incarcerati ex eleemosynis vivant. Latè tradit Matthias Colerus de processibus executivis, parte 1. cap. 6. n. 95. & seq. Math. Boys Do

5. Fallentia.

18.

Quinto fallit ratione defensionis, tam sui quam suorum, seu etiam aliorum. Nam licitum erit Clericum tunc percutere, mutilare, vel etiam occidere, cum moderamine tamen inculpatae tutelae, & etiam detinere & ad iudicem proprium ducere, tenet Sicul. in cap. cum non ab homine, de judi. imo dicit glo. in §. 1. 24. qu. 8. quod nec etiam peccat, & sequitur Sicul. in cap. olim 1. de resti. spolio. & quod dictum est de primo, ut licitum sit percutere Clericum invadentem proximum, tenet Inno. in cap. si vero. 1. de sent. excom. & tenent omnes Doctores tex. est in cap. dilecto. eo. tit. lib. 6. & in cap. fortitudo. 33. qu. 3. & fa. illud præceptum Dominicum diliges proximum tuum sicut teipsum.

Et non solum pro defensione personæ, sed etiam rerum licet percutere, ut in dicto cap. olim. & cap. dilecto. & in l. furem. ff. de fca. tenet Inno. in alleg. cap. si vero; non tamen licet occidere vel mutilare, quando ablatum est recuperabile per iudicem, secundum Bart. in alleg. l. furem. quia sic incurreret excommunicationem secus si esset irrecuperabile, ut in alle. cap. olim. & cap. dilecto. & no. in dicta. l. furem. Et idem dicendum de rebus proximi secundum Inno. in alleg. cap. si vero. Adverte, quia secundum Inno. & Sicul. si interficio aggressorem proximi mei dubitans ne præveniat & interficiat ipsum proximum, non ero excommunicatus, sed

sed bene irregularis, quod non esset, si pro mea defensione fecissem, juxta *Cle. si furiosus. de homic. in Cle. tenet Sicut, in cap. Clerici. 1. de vi. & ho. Cle.*

Attende etiam quod licet non sim excommunicatus faciens violentiam Clerico pro recuperatione rerum sibi ablatarum, si tamen hoc faciam ex intervallo, postquam Clericus pervenit ad locum destinatum, & adeptus est possessionem perfectam rerum ablatarum, tunc inciderem in excommunicationem, secundum *Doct. in alle. cap. olim. & in cap. significasti. 2. de homici.* Et ibi vide, quando dicatur fieri ex intervallo & l. 1. C. unde vi. ubi communiter dicitur, quod debet fieri incontinenti, id est, quam citius commodè potest nunquam se ad aliud extraneum exercens, donec sumpta occasione aggressorem repellat: & ideo qualecunque tempus durat, durante hoc præparamento dicitur repulsio facta incontinenti, & ista est communis opinio secundum *Doct. in alleg. cap. significasti. maxime Anthon. Ana. & Sicut. Bartol. & Angel. in l. 3. §. cum igitur. ff. de vi. & vi. arma.*

Adde quod licet percutiens Clericum excedat modum defensionis, dummodo non faciat ex proposito, propter hoc non erit excommunicatus: ita tenet *Sicut. in alleg. cap. olim.* quia ad hoc, ut quis incurrat excommunicationem, requiritur dolus. *sa. gl. in alle. cap. significasti. 2. de homici. & l. si ex plagis. §. tabernarius ff. ad l. Aquil. & gloss. in cap. cum voluntate de sentent. excommunicat. scilicet si ex proposito.* Et ideo quamvis fugiendo possit quis evadere, si tamen non fugiat, sed percussit invasorem, hoc sibi licet, quia secundum *Bart. in alleg. l. 1. C. unde vi. & Sicut. in alleg. cap.*

330 DE POTESTAT. SÆCUL.

cap. olim. & in alleg. cap. Clerici. 1. de vi. & hon. Cle. fuga. est quedam injuria. l. Item apud Labenem. ff. de jur. unde Cy. in dicto. S. tabernarius. dicit quod fuga reddit quem viliozem : quod tamen dic esse verum, quando esset talis persona, quod fuga esset ei confusio. Cum autem injuria corporalis sit major quam jactura rerum l. in servorum ff. de pe. pro qua jactura rerum licitum est percutere, ergo à fortiori pro injuria corporali. Non tamen evitaret irregularitatem si occideret, ex quo fugiendo potest evadere Cle. si furiosus alleg. & tenet Sicul. ubi supra, idem in ver. excommunicatio. 5. in ver. 12. & sequen.

6. FALLIT.

20 Sexto fallit in percutiente Clericum turpiter inventum cum persona sibi propinqua, ut puta cum uxore, matre, sorore vel filia; quia talis non erit excommunicatus. Nec est fienda differentia inter levem vel atrocem percussione: cum jus non distinguat, ut in præalleg. cap. si vero 1. de sent. excom. & uli. Nam etiam lex hoc casu permittit occidere, ut ff. de adul. l. q. ait. Peccatum tamen graviter si mutilat vel occidit, ut no. in alleg. cap. si vero excommunicatus vero non est, licet aliqui contra. Difficile autem est tam justum temperare dolorem, ut in l. Grachus. C. ad l. Jul. de adulter. ideo non videtur, quod esset excommunicatus, quando hoc facit calore iracundiæ & subito, quia canon excusat ab excommunicatione, & lex ab occisione fecus autem quando mutilaret vel occideret ex proposito deliberato & animo pensato, ar. cap. 1. de homici.

ADDE

2005 m/s.  
Decretal. tit. 39  
11. 71

A D D E

## De Clerico reperto cum uxore.

Clericus repertus cum filia vel uxore in adulterio, impunè occidi potest sine incurfione excommunicationis late Hippolytus in l. 1. nu. 50 Et in l. unius. §. cogniturum, nu. 122 de quest. Alij hujusmodi facultatem occidendi concedere licet ex communi sententia, ad quod plures alleg. Hippolytus sing. 175. Sed hanc communem falsam existimat Couvarruvias de spons. part. 2. ca. 7 §. 7. nu. 5, ubi hanc materiam latius tradit. Item Paris de Puteo de Syndicatu in verbo familiaris, Mattheus Boyß Doctor.

Si autem non invenit cum aliqua ex dictis personis, sed cum aliqua alia consanguinea, percutiens erit excommunicatus, per dictum cap, si verò, quod non extenditur ad alias personas, idem tenet Clavas. in ver, excommunicatio, quinto §. 16 & §. 17 licet Hostien. & Inno, contra,

Adde, quod licet Clericus non inveniatur in actu cum prædictis personis, sed in osculis, tactibus, amplexibus, & hujusmodi in loco suspecto, non erit percutiens excommunicatus: secus si in publico oscularetur secundum consuetudinem patriæ ar. eorum quæ not. per glo, in cap, consuluit de offic, dele, Clava. in ver, excommunicatio, §. 18

ADDE



A D D E,

## Signa &amp; argumenta adulterij,

Si quis cum filia, vel uxore in ipsa turpitudine, hoc est, actu, seu in rebus Veneris, ut loquitur *l. C. in l. Quod ait, de Adulteriis. deprehenderit, occidere licet.* In ipso actu, Græcè dicitur vel ut alij: Obscena in obscenis habentes, de quo *Couvar in spons. part. 2. cap. 7. §. 7.* Plura in eam rem, & loquendi phrasés addidit *Dionysius Godesfredus ex Harmenopolo, Luciano, Budæo & Plauto, ad d. l. Quod ait, de adult.* Notandum hic quod antecedentia sceleris, ut colloquia, locus, convivium, basia sive oscula, & tactus argumentum sceleris inducant, teste *Cicerone in Topicis, unde vulgo,*  
*Visus, & alloquium, tactus, post oscula factum,*  
*Hos igitur vita, ne moriaris ita.*  
*Ni fugias tactus, vix evitabitur Actus.*

*Hostiensis in summa de eo qui cognovit consanguineam, & hac Veneris atque Adulterij esse antecedentia & argum. tradit latissimè Bello-nus in rub. de edendo C. Accursius in l. Quod ita de Adulterijs. Clarus in crim. in verbo adulterium. numer. 16. Menoch. latissimè presumpt. 41 numer. 30 & in numer. 19 ubi tradit de Clerico in loco secreto mulierem amplexante. Eadem signa & argumenta tradit quoque Couvar-*

varruvias de sponsalibus part. 2. cap. 7. §. 6. nu. 3. ubi de impudicis tactibus dicit, quod ex ijs gravis deducatur adulterij præsumptio. Huc pertinet elegans singulare 638 Hypoliti, ubi tradit preparationem ad actum idem efficere quod ipse actus, unde sicut fugitivum debitorem capere licet, cum est in fuga; Ita etiam ante fugam, cum signa fugæ evidentia apparent. Et aggressorem utilicet occidere; ita etiam occidere licet eum, qui se ad occidendum aut insultandum præparat. Ita Hippol. in d. singul Gabriel Sarai in addition. ad Matthes sing. 37 numer. 4. Kirchovius consi. 13 tom. 2. Germanorum consiliorum & ibidem consi. 27 volum. 3. ubi latissimè de Insultu.

Ad propositum, caveat itaque Clericus à nimia familiaritate & conversatione mulierum, a-  
lioquin teste D. Hieronymo,

Non deerit viscarium diaboli.

Quem refert Hostien. in summa de eo, qui cognovit consanguineam suæ uxoris, Mattheus Bays Doctor.

Si autem ter monuerit eum juxta *auth. ut licent ma. & avia. §. 16 quoque. C. de adult. auth. si quis*, ubi dicitur, quod si ter coram testibus monuerit suspectum, & postea inveniat eum confabulantem cum uxore, potest eum occidere si ipsum invenerit in actu vel in propinquo ad actum, & non erit excommunicatus. *arg. cap. si vero. Clava. tamen in alleg. ver. excommunicatio §. 19* tenet quod non obstante trina monitione erit excommunicatus, dum non inveniat eum in actu vel propinquitatibus. *ar. dicti. cap. si vero.* & poterit etiam eum ca-

## 334 DE POTESTATE SÆCUL.

pere post hujusmodi monitionem inventum collo-  
quentem, & judici præsentare, per jura præalle, & fa. l.  
*capite 5. ff. ad leg. Jul. de adulte.*

Sed hodie de jure canonico correcta est omnis li-  
centia interficiendi adulteram vel adulterum, etiam in  
foro seculari in terris Ecclesiæ non excusabitur interfi-  
ciens. *cap. inter hæc. & cap. admonere. 23 qu. 2.* ita tenet  
Archi. *in dicto cap. inter hæc & Ioan. Ana. in cap. in-  
terfecisti de homicid.* Et idem videretur in terris imperij,  
cum l. civilis hoc casu sit nutritiva peccati; & sic non o-  
bligat. 4. distin. erit autem lex,

## ADDE.

*De hac denunciatione mariti contra de adu-  
terio suspectum, tradit praxim diligenter Ne-  
vizanus in Sylva nupt. lib. 1. num. 102 ad lon-  
gum, quod scilicet post tres denunciations sive  
una die, sive ex intervallo factas, talem occidere  
liceat, si iterum cum uxore inventus fuerit. I-  
dem tradit pulcherrimis verbis Harmenopolus ti-  
tul. 2. de adulteris lib. 6. ubi videre licet. Mat-  
theus Boyß Doctor.*

Adde, quod si maritus procuraret, ut Clericus ab  
uxore vocaretur ad turpitudinem, ut sic eum posset  
verberare, uterque tam vir quam uxor erunt excom-  
municati: quia hic est persuasio dolosa, quæ sufficit,  
ut *in alle. cap. si quis suadente.* Adverte, quia si mulier  
verbis per Clericum sollicitetur, nisi tangatur, nisi  
rangatur, ubi non licet percutere, si verbis possit  
illum repellere. Alioqui si percusserit zelo castitatis  
accensa, non ex proposito, sed subito sine deli-  
bera-

beratione & ex improvifo, non erit excommunicata, arg. eorum que no. per glo. 23 qu. 1. & in alleg. cap. significasti Io. 2. de homici. idem Clava. ubi supra. §. 12

7. Fallentia.

Septimo fallit in omnibus illis casibus in quibus Clericus perdit privilegium Clericale, de quibus satis dixi in fallentij primæ regulæ, & ibi vide.

8. Fallentia.

Octavo fallit in percutiente Clericum & pröbabiliter ignorante de Clericatu: quia talis excommunicationem non incurrit. *cap. si vero 2. de sentent. excommuni.* ut cum credebat eum esse laicum, quia non deferebat habitum, vel si habebat, non videbat, quia erat de nocte, nam secundum Innocen. & Hostien. *in alle. cap. si vero.* & *cap. cum non ab homine de judi.* oportet ad hoc, ut sit excommunicatus, quod intendat percutere Clericum. Si autem non deferebat habitum & tonsuram Clericalem, sed sciebat eum esse Clericum, erit excommunicatus, & si credebat eum esse Clericum, cum non esset, non erit excommunicatus gl. Inno. & *in alle, cap. si vero. idem Clavas. in vers. excom. 5. §. 24.* 21

9. Fallentia,

Nono fallit in invasore sedis Apostolicæ, qui pönencia, vel gratia humana, vel populari seu militari tumultu, sine canonica & concordia electione Cardinalium, se fecerit in Apostolica sede intronizari: quia licitum est Laicis talem inde pellere, ut *in cap. si quis pönencia. 79 distinct. & gloss. in cap. principes seculi. 23 qu. 5.* 22

5. ubi gloss. dicit idem, cum Clerici volunt fidem subvertere, 8. *distinet. cap. quo jure* 17 *distinet. cap. nec licuit* 23 *qu. 5. cap. 1.* Et idem cum Clerici schisma faciunt, & dum contemnunt excommunicationem, ut in *cap. de liguribus. ea cau. & qu.* Et ubicunque Ecclesiastica potestas deficit in *d. cap. princeps & in cap. ut fama. de senten. excommu. nicat.*

### 10 Fallentia.

Decimo fallit in casu *cap. ubi majus periculum. de elec. libr. 6.* ubi officiales Laici habent facultatem in Clericos, videlicet in Cardinales, & possunt auctoritate illius capitis ipsos includere juxta formam ibidem positam pro electione futuri Romani Pontificis.

### 11 Fallentia.

Undecimo fallit ubicunque percutiendo Clericum quis non peccat mortaliter, sicut in puero qui non est doli capax, qui percutiendo non incidit, ut in *cap. 1. de sentent. excommunicat.* Et idem de fugiente inimicos, si equum vel ensam à Clerico violenter eripiat ut se defendat, quia hic cessat dolus, per consequens peccatum mortale, & excommunicatio non fertur nisi pro mortali, 11 *qu. 3. cap. nemo Episcoporum.* & sic non erit excommunicatus. *Clava. post Pet. de Perusio. in summa, verbo excommunicatio. 5. §. 25.*

### Fallentia. 12.

Duodecimo fallit, ubi Laici capiunt Clericum de licentia vel mandato Prælati sui ad fines remittendi: quia tales non sunt excommunicati, ut in *cap. ut fama. de senten. excommu. nicat.*

*mae de senten. excommunicat. & in cap. si Clericos. eod. tit. lib. 6. quod intelligitur tribus concurrentibus, primo, quod Clericus sit subjectus Prælaro mandanti: secundo, quod ad ipsum mandantem pertineat correctio Clerici, tertio, quod violentia non amplius se extendat, quam defensio vel rebellio exigit Clericorum, & ex proposito non excedatur, ut colligitur ex dictis cap. Sed an Episcopus vel alius prælatus mandans torqueri Clericum per Laicum, sit excommunicatus. Communiter tenetur quod sic de jure, de quo vide quæ scripsi supra in hujusmodi tertiæ regulæ secunda fallentis,*

AD DE

**Plures alios auctores.**

1. *Ad has Fallentias vide. Paulum Borchasium Feltrensem de Irregularitatibus & impedimentis ordinum tit. de Clerico percussore, ubi refert 12 casus quibus fallit cap. si quis suadente.*

2 *Adde Duennam in regula 99 Clericum percutiens. ubi ampliat hanc regulam de percutiente Clericum undecim modis, & limitat. 3. tantum modis, ubi ab initio citat hunc nostrum auctorem, & dicit hic esse limitationes 22 licet auctor tantum numerarit vel posuerit 12*

3 *Adde quoque Clavarium in verbo excommunicatio ubi refert 8. limitationes & egregie post explicat.*

4 *Vide infra in fine Bernardum Laurentium in suo tractatu, quibus casibus secularis punit Clericum numer. 7. ubi 7. casus fallentiarum proponit.*

5 *Adde*

338 DE POTESTAT. SECUL.

5 Adde postremo insignem Martinum Navar-  
rum in Manuali confessionum tit. de excommu-  
nicationibus reservatis Papa. cap. 27 numer. 80  
ubi refert ex ordine 28 limitationes ad hanc no-  
stram Regulam tertiam.

6 Refert hujusmodi limitationes ad hanc regu-  
lam quatuordecim Rosella Casuum Baptistinia-  
na cum multis annexis quaestionibus ex divers.  
auctoribus in verbo. Excommunicatio 2. quem li-  
brum penes me habeo. Mattheus Boys Doctor.

SUMMARIA AD REGUL. 4.

- 1 Laici de negotijs Ecclesiasticis se intromittere  
non debent, nisi de auctoritate per Ecclesiam  
delegata.
- 2 Rex Francia potest Clericis criminosis gratias,  
& absolutiones conferre.
- 3 Concilium provinciale an possit Episcopum con-  
demnare, aut absolvere.
- 4 Iudex secularis potest cognoscere, ubi agitur  
actione personali pro usu funeris inter Laicos.
- 5 Materia juramenti cujus fori dicatur.
- 6 Heres defuncti an efficiatur de foro Ecclesia oc-  
casionem juramenti per defunctum prestiti.
- 7 Princeps temporalis an possit super juramento  
dispensare.
8. Iudex secularis potest cognoscere de nullita-  
te absolutionis à juramento facta per Eccle-  
siam.

- 9 Iudex secularis potest cognoscere ubicunque agitur contra laicum super re Ecclesia.
- 10 Materia usurarum cujus fori dicatur.
- 11 Sacrilegus potest per iudicē secularē puniri.
- 12 Orta quæstione facti Ecclesiastica, an Iudex laicus poterit competenter cognoscere.
- 13 Laicus arbitrator an possit de materia usuraria cognoscere.
- 14 In materia adulterij Iudex secularis potest cognoscere, si agitur ad pœnam sanguinis.
- 15 Iudex secularis an poterit cognoscere de crimine falsi commisso in literis apostolicis.
- 16 Iudex secularis potest punire sortilegos & divinatores.
- 17 Crimen Blasphemie dicitur mixti fori.
- 18 Crimen sodomiticum cujus fori dicatur.
- 19 Dominus feudi Clericus an possit cognoscere de causis vasallorum spiritalibus.
- 20 Iudex secularis an possit punire simoniacum, quem Ecclesiasticus condemnavit.
- 21 Delictum commissum in Ecclesia à laico, an possit per iudicem secularem puniri.
- 22 Pro eodem delicto an quis possit diversis pœnis puniri. p. 366.
- 23 Iudex secularis an possit habere cognitionem cause decimales inter duos laicos vel unius Clerici contra laicum.
- 24 Iudex secularis an possit cognoscere de habitu clericali, an sit clericalis vel non.
- 25 Iudex secularis potest cognoscere de causa



140 DE POTESTAT. SECUL.

- Jurispatronatus, quando est questio facti & non juris.
- 26 Fidejussor Clerici an possit coram Judice seculari conveniri.
- 27 Judex laicus an possit esse competens in cognoscendo de fructib. temporalibus provenientibus ex rebus spiritualibus.
- 28 Judex laicus an possit aliquid cognoscere super clerico pro debito regis capto & Ecclesia remisso.
- 29 Judex secularis an possit dare tutorem clerico pupillo.
- 30 Laicus injuriam faciens Clerico, an possit per judicem laicum puniri.
- 31 Clericus criminaliter accusatus potest per judicem laicum condemnari.
- 32 In Criminalibus alijs ab heresi, judex secularis non tenetur stare processui judicis Ecclesiastici.
- 33 In articulo necessitatis laicus potest de spiritualibus cognoscere, & de illis disponere.
- 34 Causa civilis Clerici an possit Laico delegari.
- 35 Laicus an possit esse procurator in causa spirituali.
- 36 Laicus an possit esse vicarius Episcopi.
- 37 Laicus potest esse operarius in Ecclesia.
- 38 Laicus an possit esse assessor Judicis Ecclesiastici.

IN ECCLESIASTICOS 341

- 39 Laicus potest esse notarius in Curia Episcopali.
- 40 Laicus potest predicare verbum Dei de licentia Episcopi.
- 41 Laicus & Clericus possunt esse compromissarii in causa spirituali.
- 42 Laicus an de mandato prelati possit torquere Clericum.
- 43 Laicus de mandato Abbatis potest aliquem recipere ad professionem.
- 44 Laicus an possit Clericum criminaliter accusare.
- 45 Laicus an & quo casu possit excipere contra promovendum.
- 46 Laicus patronus potest denunciare crimen Clerici.
- 47 Laicus an possit testificare contra Clericum in causa Criminali.
- 48 Laicus potest supplere negligentiam iudicis Ecclesiastici cognoscentis de vasallis Ecclesie.
- 49 Concilium generale potest per quoscunque indifferenter evocari.
- 50 Papa an possit se Imperatori seu Laico subijcere.
- 51 Laicus potest decimas cum titulo possidere, & esse Rector Universitatis & habere prebendam non Canonicam.
- 52 Laicus an possit acceptare beneficium pro Clerico absente.

QUAR-